



APHRODISIA FESTA

QVIBUS

VIR-JUVENIS

Qvā humanitatem, qvā doctrinam
præstantissimus

T O B I A S

WOLFIVS GYM-

NAS. PATR. COLLEG.

SPONSUS;

MATRONÆ Lectissimæ

CATHARINÆ Serneforn/ qvondam LUDOVICI

Rörbers p. m. civis honoratissimi Uxori

SPONSÆ;

Nunc instauratum redditur in thalamum.

ACTA SOLENNITER

MULHUS. XVIII. JANUAR.

ANNO

M. D C. XXX.

MulhusI,

Prælo ac Typis STANGIANIS.



m





Allusio ad nomina Sponsi & Sponse.

TRisti animo, juvenes, (referente idiomate nostro)
Sæpius acceptis **CORBIBUS**, esse solent.
Sævire, infremere, atq; imis miscere suprema,
Dentibus incipiunt frendere, mille modis!
JOVA **BONUS LUPUS** exhilaratus **CORBE** maritâ,
Acceptit **CORBEM**, **CORBE** Vehiq; cupit!
Sit *καθαρόν* **COR**, sintq; duo uno in **COR**pore **COR**da!
Ungues **FALCONUM**, **COR**da **LUPINA** cadant!
Jam **DISCORS** **DISCORDIA**, jam **CONCORDIA** **CONCORS**,
Illa abeat procul, hæc firma tenaxq; fiet!
Si pietas florent **PUR**A, intemerata fidesq;,
Tunc **FRUMENTA** bonus **JOVA** dabit **VETERA**!

M. HIERONYMUS MELER

Φιλίας ἔνεκα.

Dum Catharina tibi Corberi jungitur uxor,
Thespiadum, VVolfi, vir adamate choro;
Non equidem vacuum per Corbem lapsus haberis,
Quod multos falso mordet amore procos;
Sed te detinuit Corbis per vincla ligatum,
Vincula non ulli dissolüenda viro.
Inde lupum sequitur, (mirum) mitissimus agnus,
Nec timet à morsu, quem ferat ore lupus;

Quin

Quin potius Catharina lupum te nomine tantum
Credat, & ingenio non putat esse ferum,
Tobiam sperat, qualem sacra pagina monstrat,
Cujus felici sidere cessat amor.
Sit voti compos cum Sponso Sponsa, sequantur
E caelis vestrum commoda mille torum.

ita vovebam

M. Bernhardus Grawer Mulbusinus
ad B.M.V. in patria Diaconus.

WOLFFI, quâ melius die parâsses
connubiale Tibi Tuæq; festum, &
quàm quâ CHRISTUS adest Canæus hospes,
mutatâqve hydrijs aquâ repôstis,
connuptis-ibi sufficit falernum,
fragrans, & sapidum, & merum falernum.

Hâc si mente sacros paras Honores,
& festos celebras ovans Amores,
quod speres Tibi CHRISTUM & adfuturum,
& vinum Tibi largius daturum,
næ pulchrè facis! Et vel hac vocatum
convivam Tibi mente, credo, CHRISTUM,
Qui certò Tibi, qui Tuæ vocatus
olim-nunc aderit, domumqve vestram
optatâ afficiet benignitate,
quin & tristitiæ movebit illinc
& mæroris aquas, dabitqve vobis
nativum & sapidum, bonumqve vinum.

A 2

Nec

Nec MATREM tamen invoca; sed IPSUM.
Nam Mater semel ipsa præloquendo
poscendoqve merum, tulit repulsam.
Ergò Ipsum rogita. dabit rogatus,
quicquid convenit & Tibi necesse est;
quicquid complacet & Tibi *patrandum* est;
quicquid svave Tibi, Tuæqve dulce est.

M. GEORG. ANDREAS FABRICIUS,
Poët. Coron. Cæs. Gymnasiarcha.

ET pietatis amans, & moribus uxor honestis,
Desuper à Dominò, qua venit, illa venit.
Hæc tibi doctè venit Neonymphe! favemus bonori,
Addimus & tædis hæc pia vota tuis:
Qui DEUS illimi vos glutine amoris adunat,
Cogit & in castum pectora bina torum.
Ille etiam Eutychie largum super impluat imbrem,
Vestra sit ut multâ plena salute domus.
Faxit amarities curarum desinat, unda
Inq; locum cedat connubiale merum.
Hæc paucis ego vota fero, subscribat in altis-
Fine pium cœptum qui beat omne bonò.

amico certissimo

f.

Christianus Eilmarus Molhus. ad
DD. Nicol. & Petri P.

Non

Non mentis esse cōpotes
mihi videntur, arduis
sociare qui gravem solent
laboribus molestiam.
Meam *tuò* sententiam
Collega docte *calculò*
probas? Tuis Scholasticis
& arduis molestiam
Cur ergò nunc laboribus
addis, tuumq; duplicas
onus, Tori dum feminam
sociã cupis *CATHARINULAM?*
Expers doloris haud datur
Torus, fatigat omnium
labor dolorq; Conjugum
animos profectò. Sed tua
autor Tori ter Optimus
amoris igne pectore
accendit & *CATHARINULAM*
Te vult *amore* prosequi
Castò piam; Sodalitas
DEO placere Conjugum
solet. Absit ergò maximæ
Torum venire nomine
molestiæ! *Tori DEUS*
si primus autor, hujus &
fautor manet perennibus
seclis, molestiæ loci
nil est profectò; nec *Torus*

vocandus est molestiæ
laboriosæ nomine
Jucunditatis at *Torus*
dulcedinisq; nomine
Vocandus esse creditur.
Non ergò jungis pergravem
laboribus molestiam
Collega amice, dum tibi
dare velis *CATHARINULAM*
(*pulvis licet Scholasticus*
fatiget usq; pectora
Tua;) Sed petita duplicas
multiplicasq; gaudia!
purgaris ecce sordidò
Scholasticoq; pulvere!
CATHARINULÆ manus *tuã*
abstergit iò *Scholasticum*
Collega chare *pulverem!*
Hoc est; tuis scholasticis
levamen est laboribus;
pellit molesta tædia
fert *mille, crede, gaudia!*
Tibi nunc ergò gratulor
CATHARINULÆ de munere
VVOKFFI tuæ! Ter optimus
benedicat ædibus *DEUS*
Vestris; *Torus* feracior
reddatur eja pignorum
Tori; Ceres, Lycaus &

repleant domū; benignius
longæva vitæ secula
Vita dator communicet;
Alis suis & aureis
vestros lares circumvolet

Pax alma; donec Optimus
Soli poliꝫ conditor
Vos transferat caelestia
ad tecta; regna Gloria!

*Sic Collega & amico suo jucundissimo
gratulabatur*

M. Ludovicus Starck / Conr.

Magnus es, ô WOLF I, simul atq; mereris honores
Magnos, dum Sophie quaris anhelus opes.
Major es, atq; tibi meritò tua gloria crescit,
Quod vita inceptas nobilioris opus.
Suavem quod stabili tibi Sponsam glutine jungis,
Quæ pietatis amans, quæ studiosa tui.
Acclamo & grator: Superi Connubia firment,
Ærumnasq; levet tempus in omne DEUS.
Vivite concordēs, thalamoq; educite prolem,
Cum pietate probam, cum probitate piam.

Stephanus Cüsterus Sponsi Collega.

I. De nomine Sponsi.

UT lupus insequitur, testante Marone, capellam:
Sic sequeris Sponsam Sponse novelle tuam.
Florentem ut cytisum sequitur lasciva capella:
Sic sequeris Sponsum Sponsa novella tuum.

Inse-

Insequitur lupo, ut rabidò voret ore, capellam:
Non sequeris Sponsam sic pie Sponse tuam.
Insequitur, cytisum quò devoret ore, capella:
Non sequeris Sponsum sic pia Sponfa tuum.
Cordis ut extinguas tacitos, quibus ureris, ignes,
Insequeris Sponsam Sponse polite tuam.
Cordis ut extinguas tacitos, quibus ureris, ignes,
Insequeris Sponsum Sponfa pudica tuum.

II. De superfluo, ad Sponsum.

Plerumq; evenit, ut quod alteri superest, alteri
desit. *l. 1. in princ. ff. de contrab. empt.*

SI tibi quid superest, Sponsæ des Sponse: tibi nam
Quod superest, Sponsæ desit id omne tuæ.

III. VOTUM.

O Pater omnipotens, cœli fabricator & orbis,
Qui mare, qui terras, qui regis astra poli:
Omnipotens Fili, nostræ studiose salutis,
Qui Deus, & nostræ conditionis homo es:
Spiritus omnipotens, Patri Natoque coæve,
Qui lustras radijs pectora nostra tuis:
O æterne Pater, tuq; ó Patris unice Fili,
Et sacer amborum Spiritus, une Deus:
Omnigenâ Sponsumq; bees Sponsamq; salute,
Avertasq; novò tristia quæque torò.

Boni ominis ergò fund.

HENRICUS BEZA, VVernigerodá-
Cheruscus, Saxo, Jur. Stud.

Ungvi-

Ungvinibus quondam postes maduere Lupinis
ad nova flagrantis vincula Spumigenæ:
Phasiadis ne quid possent fera murmura lingvæ,
dira nec Æmonijs nata venena jugis.

Omen & ungvæ adest: jam posteis Wolfius unget,
Ungvine Diva Paphi deliciante tuo.
Nec mora nec requies, densis Catharina Tobix
fortunata bonis uxor & unxor erit.

GEORGIUS Engelhardt
P. Laur.

Certus eras libertatis data jura tueri,
Corbibus accensas sustinuisse faces
horrebas: De te sed enim CORBANA triumphat,
Et modo de collo textile pendet onus.
Ast læteris! te corbis si namque manebat,
Corbi vix poteras commodiore premi.

M. Justus Sebidaus.

Expectata dies instat, quâ, Sponse polite;
Jungetur lateri, costa petita, tuo.
Ut cupis, ergo, tuis, Charites facilesque Camænæ;
Applaudunt tædis, & pia vota ferunt.
Optantes, sacri, Deus est qui fautor & author
Conjugij, conjux unde petenda venit,

Annuat

Annuat ut cæptis, & te sponsamq; secundet.
Atq; suo auspicio fœdera vestra juvet.
Absit ut ira gravis, lites, fraudesq; malignæ.
Nec turbent socium jurgia dura Torum.
Sed vobis eadem sit mens, eademq; voluntas;
Vestraq; sincerus pectora jungat amor.
Sic vos felices, multâ sic prole beatos,
Auguror in Pylios vivere posse dies.
Firmet ut augurium, Deus, hoc, mitissimus ille:
Et jubeat votis pondus inesse, precor.

F.

SAMUEL à REIS Mulhus. Scholæ
Patriæ Collega.

ECquid ego veniam, Tobia, tibi dicere verba.
nempe, bona, est bona res dicere verba bonis,
Jam Catharina tibi ducetur nupta marito,
quæ promissa tuo dicitur esse thoro.
Noctæ tuis charis Catharina quiescet in ulnis,
Oscula mille diu, basia mille dabit.
Frigora cùm noceant, Catharinam amplectere, brumæ,
membrum si rigeat, forte fovebit ea.
Sint, voveo, nati, & natorum sera propago,
qui generis vestri nomina multiplicent.
Plurima sint vobis presentis commoda vitæ,
& quæ celsithrono deinde futura polo.
Sit procul hinc quodcunq; mali est, sit leta senectus,
mors placidum solvat non nisi sera thorum.

B

Christe

*CHRISTE, pijs Sponsis qui munera das Cananais,
has etiam faxis pondus habere preces!*

JOHANNES Winter Patr. Schol.
Collega.

Connubij Nympham dum jungis foedere VVolfi:
Grata facis summo, Sponse Novelle, Deo,
O opus egregium! Paradyfi sanxit in horto
Rite hæc alma Trias pignora conjugij.
Jam tibi, dante Deo, socialis jungitur uxor,
Apta tibi, qua non aptior esset, ama hanc.
Namque tuas poterit penitus dispellere curas,
Semper & ipsa tibi dulce levamen erit.
Huic nomen Kathare clarum est, virtutis amica
Hæc erit omni auro carior usque tibi.
Præclaris, aucta est, naturâ dotibus, illa
Rebus in adversis certa medela mali est.
Semper erit constans inter vos ardor amoris,
Totius hæc columen culmen eritque domus.
Inunc fortunâ parili quo fata vocabunt,
Cum dignâ Sponsâ, Sponse Novelle, tuâ.
Eja Deus præstò semper sis alme Novellis
Nuptis, ut felix conjugium usque fiet.
Tu sis præsidium, sis dux, solamen eorum
Hosque bonis ornes muneribus varijs.
Pax, amor, & pietas, & stet concordia firma,
Nec sine pane domus, nec sine prole thorus.

Turtu-

Turturibus semper similes in amore fideque
Sint, mancant, vivant secula multa, precor.

Ita voveo

Ita spero

Sebastianus Schmaltzius Schol. Patr.
Collega.

Mulm Salus, Divum bonitas, & gratia multa!

DUm sacra conscendis thalami fulmenta jugalis
VVolfi, pars animæ, pars optatissima nostræ:
Et tua dulcisonis decantat festa Camænis
Grex Aganippæo compulsus pectora Thyrso:
Hæc, tibi ne videat Musarum castra perosus
Castalidum, hæc, simulac tester pia gaudia plausu
Solemni, volui votis superaddere vota.
Accipe gratanti TIBI quæ fero pectore, vota
Accipe, non deerit votis sacra Numinis aura.

Tbalasio.

VOta priora paras Neonymphe, priora parata
Sint Neonympha TIBI vota secunda precor.
Adsit Eros, procul absit Eris, sit prolis abundans
Lectus, neve dolor gaudia vestra premat.
Cuncta sient vestris correspondentia VOTIS,
Et sine nube DIES, & sine labe QUIES.
Hæc mea sunt, hæc sunt multis communia mecum
Vota: det his multum roboris esse DEUS!

Paucula hæc boni ominis ac nominis es.

Joh. Gr.

Humanum est, hominis misereri vulnere laesi:
Wolffius at noster, vulnus, amicus, habet.
Addecet ergo hujus num commiserescere? Dicit
Hac in re humanus num placet? Ipse nego.
Quin lator, totoq; precor sic pectore: ut unquam
Non curetur ab hoc vulnere. Satq; precum.

Sebastianus Hoppfe.

FAllitur, absurdum dicens thalami osor, eundem
Indulgere libris, atque subire torum.
Hinc tu jussa sequens, V Volfi, caelestia, pergis
Indulgere libris atque subire torum.
Namque tibi Catharina tori consors datur illa,
Corberi quondam blanda marita viri.
Gratulor ergo tibi, V Volfi, quod contigit uxor,
Bella satis, simul & casta, pudica, proba.
Hæc, forsan malè si curarum pondere pressus,
Menti confusæ dulce levamen erit.
Suaviter hæc poteris Sponsâ traducere totum
Ætatis spacium curriculumque tuæ.
Felix Sponse nove es, ô terque quaterque beatus,
Talem qui sociam nactus habere tori!
Pectora conjungens concordia, comprecor, adsit
Vobis, at cedant jurgia dira procul.
Augeat ipse Deus vos multâ prole parentes,
Annos vosque sinat vivere Nestorios!

Christoph. Urbach, Mulb. Gymn. Al.
Junoni

J Unoni siqvando jugæ, gens prisca volebat
Sacrifico ritu solitos accendere honores,
Evulsam fibris fel projiciebat ab arâ:
Argutum factum! fausto quod schemate cunctam
E re conjugij rixam proscribit, & omne
litigium tollit. **VVOLF** doctissime **SPONSE**,
Christiano ritu, tu Sponsam ducis ad aram,
Confortemque tori tibi amico fædere jungis:
Sit torus hic felix vester, nec fellis acorem
sentiât, unanimes longos vivatis in annos.
Absit fel; thalamus sit melleus; horrida Erinny
Nunquam interturbet sociali fædere junctos.
Concors conjugium felicitet usque **JHOVA**,
Ut seros vestrâ videatis stirpe nepotes:
Tantum est, quod vovi: votum **DEUS** optime præsta!

Fausta acclamationis ergò Præceptori suo
F.

Joachimus Blæsingius **VVehndanus**
Saxo, Gymn. Mulh. Alumn.

Altum supremi consilium Jovis
Sancit jugari cum mare foeminæ
Sexum, tori per vincla casti
Fortia; sic socios ut usus
Præstent sibi: *fatur Sophiæ jubar.*
Quid? Et sacrata littera pagina
Testatur, orbis Conditorem
Fædera connubij sacrata

Creasse,

Creasse, digesta penitus rudis
Jam mole mundi. Quis vetat ergo, ne
Amens, novas ambire tadas?
Quin potius, Neonymphæ, nulli
Sectarier Jovæ, thalami juvat
Te jura. Te jungi socia decet
Nuptæ, Sophorum cui rigarunt
Fontibus Aonides cerebrum
Largis; cui verbi Lampade mystici
Pectus calescit. Vota igitur fero
Hæc SPONSE: Faustum sic Jehovâ
Auspice connubiale fœdus!
Non Æolus dein noxia amoribus
Sufflet novis; Non tentet Eris suas
Rixosa technas; sed serenos
Blandula faxit Eros penates!

Gratulab. F.

Johannes Mylius, Gymn. Mulb. Al.

IPse jam dicis benè, doctè VVOLFI,
esse prolatum; superos labore
improbo, ac duro bona cuncta cuivis
vendere nostrum.

Castra Musarum teneris ab annis
sorte non æqua, studio secutus,
Atticus quicquid sapiens recondit,
totus adisti.

Ergo

Ergo doctorum volitas per ora,
qui tibi solvunt meritos honores:
teq̄ve agit pennâ renuente solvi
fama superstes.

Insuper junxit thalamo maritam
Conditor primus thalami J E H O V A H;
cui favet candor, favet & metalli
copia fulvi.

Sis precor felix, veluti Tobiaë
filius; cedat procul Asmodæus
ille Dæmon; sit suboles petita;
Omnia fausta!

*Sic gratulatur Præceptori suo meritissimo
Martinus VVanderslebius Thurinus,
Gymn. ibid. Alumnus.*

Felix, ô nimium felix quem summus IOVA
Optata Sponsa donat! nam hoc duplicat annos.
Gaudia magna parit jucunda marita marito,
Et facit ipsa virum tranquillam vivere vitam.
Est etiam munus venerabile nupta marito,
nec dabitur, nisi qui vera est pietatis amator.
Ast tibi donata est jam, WOLF I, agnosce datorem.
Et cognosce datam Sponsam: mea vota q̄ nosce;
Tale tibi vinculum tibi sit; sibi quale vovebit,
Qui volet ex voto socialem vivere vitam.

Gratulationis ergò Præceptori suo F.
CHRISTOPHORUS CYPRIANUS.
Prin-

PRinceps ille Solon Grajūm septem sapientum,
Prudenter monuit gustare cydonia mâla
Sponsam, si Sponso dilecto accumbere vellet.
Non intelligitur labij fragrantia solum,
Quæ levis & brevis est; sed blandiloquentia, qua se
Nocte dieque viro jucundam præbeat uxor.
Scilicet hæc grati sunt mala cydonia succi,
Quæ Sponsæ semper sunt degustanda venustæ.
Tu Sponsa idcirco nunc mâla cydonia gust es,
Ut possis svavem teipsam præbere marito :
Sic degustatis mâlis mala plurima deinceps
Vitabis; domuique bonum cumulabis abundè.
Hoc precor ut fiat, precor inquam è pectore toto.

*Amoris honoris & boni ominis ergò gratulans
offert*

Johannes V Vilhelmus Cyprianus Neohei-
lingensis Gymn. Mulh. Alumn.

Chronodistichon:

O Cto bls, CeLebras V Volfl & Catharina, Dieb Vs
Iani præteritis, DVLCia festa torl.

C. C. C.

F I N I S.



Et dominus **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus

domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus

domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus

domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus
domine **et** dominus **et** dominus

APHRODITE
 VIR-
 Quà humanita
 præf
T O I
WOLF
 NAS. PA
 SP
 MATRO
 CATHARINÆ Fern
 Körbers p. m. ci
 SP
 Nunc instavratur
 ACTA S
 MULHUS.
 M. D
 M
 Prælo ac Typ

